



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Postq[ue] magnus Athanasius fato suo perfunctus est, Luciano Ariano  
sedes eius traditur, qui multis Aegypti ecclesias incommodis afflixit, & de  
Petro qui Athanasio succedens, erepta fuga Romam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

Postq̄ magnus Athanasius fato suo perfunctus est,  
 Luciano Ariano sedes eius traditur, qui mul-  
 tis Aegypti ecclesias incommodis afflixit, &  
 de Petro qui Athanasio succedens, erepta fuga  
 Romam perrexit. CAP. XIX.

**E**odem ferè tempore Athanasius episcopus ecclesie  
 Alexandrinæ, cum eo sacerdotio circiter annos qua-  
 draginta sex perfunctus esset, exiit è vita. Itaq; mor-  
 te eius quàm primum per Arianos nuntiata, breui tempo-  
 re post Euzoium, sectæ Arianae Antiochiæ antistes, profi-  
 ciscitur Alexandriam, & cum eo vnà etiam Magnus Qua-  
 stor, ab imperatore missus. Qui duo Petrum, cui Athana-  
 sius episcopatum commiserat, comprehensum, in carcerè  
 concludunt: traduntque Lucio ecclesie Alexandrinæ gu-  
 bernacula. Hinc factum est, vt Aegyptij erga exteros of-  
 fensiore animo essent, & calamitates aliæ ex aliis ortæ, po-  
 pulum ecclesie catholice adherentem magnopere preme-  
 rent. Nam simul vt Alexandriam venit Lucius, & ec-  
 clesias occupare aggreditur, plebe ei resistente, causa sedi-  
 onis clericis & sacris virginibus falsò attributa est. Aria-  
 nis autem hostilem in modum per vrbem grassantibus, or-  
 thodoxorum alij fugiunt, alij in fuga comprehensi sunt,  
 & vinculis constricti, in custodia asseruati: post inde edu-  
 cti, & grauibus affecti supplicii. Nam pars vngulis acutis  
 & flagris bubulis cæsi: pars ardentibus ignis facibus affli-  
 ctati. Instar miraculi sanè videbatur, si cui vita post hæc  
 tormenta suppeteret. Atque antè quàm hæc suppliciorū  
 genera subirent, mori certè aut exilio mulctari optabile  
 putabatur. Sed de his hoc modo hætenus. Petrus verò  
 episcopus clam è carcere elapsus, conscensa naue, ad epif-  
 scopum Romanū, vtpote eiusdè secū fidei fautorè traiecit.  
 Ariani autè, licet numero pauci, ecclesiis potiti sunt. Per  
 idem tēpus sequebatur edictū imperatoris, vt qui cōcilij  
 Nicæni doctrinā amplexarētur, omnes, de quibus Lucius  
 mandatum daret, tum Alexandria, tum reliqua Aegypto  
 pellerentur. Nam præsidij prouinciæ ita imperatum erat.  
 Euzoium autè, rebus, quas moliebatur, ex sententia gestis,  
 redijt Antiochiam.

S De mo-